



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ratio discernendi: sub quo Domino laboratis, agnoscitis. Fortè videtis & præmia; nec fortè ignoratis, quid à vobis exactor improbus exegit; qualia sunt præmia, quæ speratis. Sim. Cass. l. 7. c. 22.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum &c. Matth. 16. 24. Vide, quomodo nullam his verbis necessitatem imponat: non enim dixit, si veletis, si ve nolitis, hoc vobis ferendum est. Sed quomodo? *Si quis vult venire post me.* Non affero vim, non cogo; sed quemlibet dominum voluntatis suæ constituo: eà de causâ dico, *si quis vult.* S. Chrysol. orat. de ador. Crucis.

Si vis ad vitam ingredi. Matth. 19. 17. *Si quis vult post me venire.* Matth. 16. 24. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere.* Joan. 7. 17. S. Hieron. ep. 25. non tibi imponitur necessitas; ut voluntas præmium consequatur.

Nihil tuleritis in via; neque virgam. Luc. 9. 3. Virgam aufert, ne metum inferat. S. Ambros. l. 7. in Luc. eos emisit ad seminandam viam; qui non cogent, sed docerent. Sed nonne Marci 6. 8. præscriptum à Christo est, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum?* An contrarius sibi Dominus? solvit nodum Rupertus l. 8. in Matth. ad mentem Ambrosii: virgam regum negat, virgam pastorum concedit. Velloso in Judith 2. 4.

Vs sanus fieri? Joan. 5. 6. Cur eum interrogat? non quia de ejus dubitaret voluntate; sed ut ejus aliquomodo excitaret arbitrium; & ad tantum beneficium recipiendum disponderet. Significat Dominus, se arbitrio hominis liberè uti in salute conferenda. Escobar t. 1. mir. Chr. l. 5. sect. 2. §. 1.

Nunquid & vos vultis abire? Joan. 6. 68. q. d. Meum fuit vos recipere venientes; venire vestrum: meum retinere Discipulos; vestrum est, manere penes Doctorem; aut abire liberi, ut venistis. Non cogo, non aufero libertatem: vidistis, quæ feci; audistis, quæ dixi. Sim. Cass. l. 11. c. 20.

Si quis sitit, veniat ad me. Joan. 7. 37. *Beati, qui esuriunt, & sitiunt, justitiam.* Matth. 5. 6. Auth. Imp. op. esurire, & sitire justitiam, est desiderare justitiam Dei: ut, si faciant homines justitiam Dei, si ve audiant; non quasi inviti audiant, vel faciant, justitiam Dei; sed ex desiderio cordis: quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Unde Dominus per Joannem, non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodo sitientes.

De Virginibus ait Apostolus, *præceptum Domini non habeo.* Cur? quia & ipse, ut esset virgo, non fuit imperii, sed propriæ voluntatis. Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? quia majoris est mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablata: & durissimum erat, contra naturam cogere; angelorumque vitam ab hominibus extorquere. S. Hieron. ep. 22. de custod. virg. ad Eustochium.

Quidquid fit necessitate, citò solvitur: quod voluntate arripitur, perseverat. Idem in Osee 7.

Quod sponte non fit, non etiam durable est: illorum fluminum, & arborum, instar; quæ vi retinentur. S. Gregor. Naz. or. 6. de Spirit. Sancto.

TITULUS XXIII. SILENTIUM.

§. I.

Symbola.

Sepulchrum patens est guttur eorum. Pl. 5. 11. Taciturni, sunt sepulchrum Christi, cui advolvunt ingentem lapidem. Sanct. Ambros. l. 10. in Luc. quicumque in se bene humaverit Christum, diligenter custodiet eum, ne perdat; neve perfidiæ sit ingressus. Pinna Ethol. 91.

Hortus conclusus soror mea. Cant. 4. 12. Hic hortus conclusus est serà silentii. Cogitationum terrenarum multitudo, si hortum hunc irruerit, bestialiter conculcat. Rich. à S. Vict. c. 29. in Cant.

Faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4. 19. Eos homines maximè Apostolici viri piscantur, qui silentium colunt: garrientes difficile ad pietatem trahuntur. Pinna Ethol. 272.

Pythagoræ discipuli, ob silentium, pisces in honore habebant. Unde Plutarchus in symposiacis, Pythagoricos ait à piscium esu abstinuisse. *Polyanth. Sacr. Tom. II.*

ex reverentia; quòd hos quasi disciplinæ suæ domesticos agnoscerent. Cornelius in Eccl. 41. 26.

Altissima quæque flumina minimò sonò labuntur. Cornelius Comment. in Is. 8. fluvii, qui placide, & silenter, fluunt, sunt profundissimi: ita corda silentium profundè sunt sapientiæ.

Flumen. Lem: *Mutum, sed altum.* Curtius l. 7. altissima quæque flumina minimò sonò labi. Picinelli Græves volantes cum injecto in os lapillo. Lem: *Tuta silentia.* Masenius.

§. II.

Silentii laudes.

Post hæc aperuit os suum. Job. 3. 1. Septem diebus taciturnus. S. Basilus in regulis fustis disputatis c. 13. vocat silentium, gymnasium bene loquendi.

Os suum aperuit sapientiæ. Prov. 31. 26. Vox aperuit notat, eam clausum habere os, & obsignatum silentiò; quòd nil, nisi clavis sapientiæ

N a n n a

pienitæ